

lebrantur. Quod tamen miror, quia in ejusmodi Editio ex Vaticano, in festo sancti Pauli scriptum habetur: *Præfatio et Benedictio quæ superius*, ut in Codice sancti Eligii. Unde fit ut credam Codicem illum manuscriptum descriptum quidem fuisse ex alio antiquissimo exemplari, sed quædam partim detracta fuisse, partim addita ab exscriptore, prout videbat ille usui temporis sui convenire. Qui expunxit festum sanctæ Mariæ ad Martyres, quod sua ætate abrogatum erat. Nam cum ipse ponat festum omnium Sanctorum, quod diu post festum sanctæ Mariæ ad martyres institutum est, signum est eum non vixisse ante hujusmodi festi institutionem, sed post illius abrogationem, cum festum omnium Sanctorum duntaxat celebraretur, quod constat ex omnibus nostris Sacramentariis manuscriptis diu celebratum fuisse vigente adhuc festo sanctæ Mariæ ad Martyres. Quamvis autem quædam desint in Codice sancti Eligii, quæ habentur in excuso Sacramentario ex bibliotheca Vaticana, est tamen eo locupletior, ut dixi in libri programme, longe enim plura quam ille continet et antiquioris notæ.

Præterea illa quæ in his tribus Sacramentariis manuscriptis Rodradi, Rhemensis et Ratoldi notatu digniora erant, maxime quoad Sacramentorum rationem et festorum celebritatem, in nostris observationibus annotavi, illustravi et explicavi, quæque rariora erant in Codice Tiliano in easdem transtuli diligenter cum Codice sancti Eligii collata. Quæ sunt in appendice, ex nostris observationibus detracta, ad libri calcem sub appendicis titulo rejeci, ne in illis veluti sepulta jacerent. Sic autem in his observationibus me gessi ut illa quæ sunt hodierni usus, quantum in me situm fuit, ad antiquos Ecclesiæ ritus revocarem, ab eorum tamen mente alienus, qui omnes ecclesiasticas institutiones et ritus, atque etiam recentiores ad apostolorum tempora omnibus remis et velis, ut aiunt, referre contendunt, quo nihil absurdius esse semper judicavi. Nam ejusmodi homines antiquorum Patrum et conciliorum verbis ac sententiis vim inferre non dubitant, modo suis nugis in officina cerebri sui cuspis colorem aliquem et fucum tribuere possint; non eorum mentem sequi, sed eam ad sincipitis sui nebulas pertrahere cupientes, non sive gravi antiquitatis ecclesiasticæ, et veritatis dispendio; non advertentes omnes traditiones ecclesiasticas non fuisse ubique temporum et locorum easdem: ac proinde omnia confundunt, et pessundant; et in hoc se belle putant Ecclesiæ auctoritati consulere, cum eam hac ratione scribendi penitus convellant. Nemo est enim adeo ab omni judicio aversus, qui nesciat concilia, episcopos, summos pontifices, quos Deus posuit mysteriorum suorum dispensatores, posse vetera quædam abrogare, et nova statuere, prout, sancti Spiritus impulsu ducti, ecclesiasticæ utilitati ac dignitati ea conducere providerint.

Tandem ritus et cæremonias utriusque Ecclesiæ, Latinæ et Græcæ, studiose inter se contuli, in quo convenirent ac discreparent, quantum in me fuit, diligentius annotavi.

Ne quis autem offendatur quod dixerim mundum plenum esse vagis sacerdotibus, profiteor id me non intelligere de honestis sacerdotibus, qui aut certas sedes habent aut in Ecclesiis et parochiis resident, sed de his duntaxat qui per civitates vagantur, ἀπειροχάλοι, sacerdotio prorsus indigni.

Neminem etiam lædere debet illud quod adnotavi ad quemdam extremæ unctionis ritum, in quo, altero ungente, alter verba pronuntiat, cum dixi hoc favere aorum opinioni qui dicunt hunc valere baptismum, si uno infundente aquam, aut mergente, alter verba proferat. Non enim hoc ideo protuli, quasi in ea sim sententia, quam vulgo repudiari non ignoro.

Hæc te monitum volebam, candide lector. Si quid est in his meis lucubrationculis quod tibi sapiat, utere libenter; si quid nævi ac maculæ repperis, æquus ac benevolus excusa.

## DE LIBRO SACRAMENTORUM INSIGNE TESTIMONIUM.

(Ex Petri Lambecii tomo secundo bibliothecæ Cæsareæ, cap. 5, pag. 298, num. 14.)

*Secundus augustissimæ bibliothecæ Cæsareæ Codex ad vitam et res gestas imperat. Caroli Magni pertinens est inter mss. Codices Theologicos Latinos 360, et continet præcipue sancti Gregorii Magni papæ I librum Sacramentorum. Idcirco autem cixi eum codicem ad historiam vitæ Caroli Magni pertinere, quia hic est ille ipse quem summus pontifex Adrianus I Carolo Magno, ad petitionem ipsius, dono misit, ut videre est ex epistola 82 collectionis epistolarum veterum studio et cura ipsius Caroli Magni adornatæ; quippe ubi papa Adrianus istius Codicis mentionem facit hic verbis: De sacramentario a sancto prædecessore nostro Deifluo Gregorio papa disposito, jampridem Paulus Grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, et secundum sanctæ nostræ Ecclesiæ traditionem per Joannem monachum atque abbatem civitatis Ravennatum vestræ regaliemisimus excellentiæ; quatenus optantes pro vestra regali invictissima excellentia eundem Dei apostolum vestrumque protectorem, poscentes quæsumus ut semper ubique vos comitans victores super omnes barbaras nationes efficiat, et una cum domna spiritali filia nostra excellentissima regina, vestræque prosapiæ nobilissima prole, longiori ævo in hoc regnantes mundo, in vitam æternam cum sanctis omnibus regnare sine fine ejus interventionibus faciat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. Huc usque clausula epistolæ papæ Adriani I, in qua libri Sacramentorum sancti Gregorii Magni ad Carolum Magnum transmissi fiunt. Titulus autem ejusdem libri in ipso Codice ms. ita se habet:*

IN NOMINE. DNI.  
INCIPIT. LIBER. SA-  
CRAMENTORUM. DE  
CIRCULO. ANNI. EXPO-  
SITUS. A STO. GREGO-  
RIO. PAPA. ROMANO.  
EDITUS. EX AUTHENTI-  
CO. LIBRO. BIBLIOTHECÆ  
CUBICULI. SCRIPTUS.